



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adolescens Academicvs Svb Institvtione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633

Præmvnitio Ad Aristarchvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49007](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49007)



P R Æ M V N I T I O .

A D

ARISTARCHVM.

NON est magis iam, quam
olim Socrate foras ab-
eunte, aut S. Hierony-
mo scribente, tutum in
lucem prodire intectum galeâ, si oc-
currerit seuerus quispiam & malè
susplicax Aristarchus, nisi te bene
præmunieris, caue, vereor ut va-
pules. Saluto te igitur imprimis in
ipso statim limine perhumaniter,
mi Aristarche, ac deinde enixè ro-
go, ne me vel allatres eminus, vel
cominus mordeas: nemini in via
ō futu-

futurus sum noxae si domos esse plu-
res, quàm velim, in Academijs pe-
riculosas, si socios improbos, si stu-
diorum morumque Moderatores
nonnunquam non optimos, si Aca-
demicorum nepotum vitia sanè
grauia reprehendero: si in alijs præ-
stantium virtutum gloriam desi-
derauero, tu me, quæso, scopumque
meum probè noris, priusquam den-
te aut saxo impetas. Instruo Aca-
demicos Adolescentes, non eos dun-
taxat, qui in Catholicis ac moratis
urbibus habitant, sed eos etiam,
qui in Hereticis ac malè institutis
Academijs (cuiusmodi sunt non
paucæ) instruuntur: imò velim in
Ethnicorum quoque, si fieri posset,
gymnasijs & scholis legi, ut quàm
longè latèque, ipse olim Salomon
suis præceptis spectauit, tam longè
latèq;

latèq; respiciat hic Salomon meus.
Quamquam si eius Europæ, quæ
Religionem Catholicam tuetur,
amplitudinem; si temporum, quæ
possunt incidere, calamitates; si
semper & ubique in vitia duci
ceream, ad virtutes verò diffi-
cilem Adolescentiam tecum repu-
taueris, etiam fortassis occurret
locus, & tempus, quo indulgen-
tius, & minùs rigidè Academi-
cum meum tractasse videar. De-
nique in Symbolis meis, in stylo,
totòque contextu, si quid minus
abstruse reconditæque eruditionis,
ut multa sunt, reperias: velim
cogites cui hæc scribam, suscepisse
me scilicet instituendum Philoso-
phiæ candidatum, non iam ex bar-
baris Philosophis, aut è graviori-
bus

*bus Theologis vnum aliquem: ita
iam opinor hisce rationibus audi-
tis abire me fines intactum. Vir
bonus es. Vaie.*



IN-